

aspexi, nihil est super mi, Quod loquar amens; illum, inquam, versum in manuscriptis codicibus Catulli desiderari; eum autem, qui in veri locum substitutus fuit, Parthenii esse; qui tamen hodie pro germano Catulliano habetur. Mihi quidem, o noster, Catulli sit, an cuius libebit, perinde fane est; sed tamen hoc vere possim dicere, aliter longe scripsisse Catullum. nam Graeca Sapphonis cum Latino versu minime conueniunt. quod nemo negauerit, qui saltem aliquo valebit iudicio. Quippe aliud est, *nihil quidquam vocis habeo*, vel, vt Graeca verba significant, *nihil quidquam vocis mihi in fauces venit*; longeque aliud, *nihil mihi superfit, quod loquar*; quae sententia est Parthenianae restitutionis. Sed satis sit id te monuisse: tu caetera videris.

---